



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

Ulloa, Joannes de

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput 1. An, & quando sensus allegoriricus, aut moralis, aut Anagogicus
scripturæ tenendus sit fide divina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

DISPUTATIO TERTIA.

De ultimo mundi quadriennio.

Quandoquidem S. prospero a-
quitano quondam S. Leonis
Papæ secretario, ut ajunt,
imo famosæ illius Epistolæ ad S. fla-
vium contra Eutichetem auctori, ut
aliqui immerito putant, placuit scri-
bere de dimidio temporum; scribere
mihi placuit de temporis extremita-
tibus, nimirum de principio tempo-
rum, & de fine, tempora interme-
dia, per tot auctores sacros, & sæ-
culares exposita, tacitè præteriens:
Undè post duas datas disputationes
temporis à prima productione cœli,
& terræ, usquè ad diluuium Noeti-
cum, dabo ultimo quadriennio duas
alias, hoc est rebus futuris ab initio
Monarchiæ Antichristi usquè ad ju-
dicium universale, finalemquè sen-
tentiam ferendam ab eo; qui con-
stitutus est à DEO iudex vivorum,
atque mortuorum; Dico ultimum
quadriennium, quia ut constat ex scri-
pturis infrà dandis, iniquus ille re-
gnabit tres annos & dimidium, &
imperium hoc non adipiscetur statim
à nativitate, sed tempus aliquod in-
sumet evellendo illos tres Dynastas,
aut reges ex decem, in quibus tunc
divisum erit antiquum Romanorum
imperium, aliquod item accipien-
do homagium ab aliis septem, qui
eorum trium clade perterrefacti filio
illi iniquitatis colla submittent juxtà
Apoc. 17. 13. Apocalypsim: Rursus à morte ipsius
usque ad iudicium universale dies
fere quinquaginta octo transibunt, ut
postea eliciam ex scriptura, quo tem-
pore exarsurum est contra fidelium
congregationem horrendum illud
novum bellū Gog, & Magog, quod in-
nuunt Ezech. c. 38. & 39. nec non Joan-
nes cap. 20. Apocalypsis; & non post
multum temporis ab eo bello, cœlitus
superato, prout in hoc loco scribit
Joannes, futura est universalis resur-
rectio, quam immediatè subsequetur
iudicium universale. Horum even-
tuum calculus pendet ex incerto nobis
initio Monarchiæ Antichristi; Unde

calculus non est firmus, nisi conditio-
nate. Hæc omnia quatuor saltem
aut ferè quatuor annos complecten-
tur: Atquè idcirco hæc duæ Disputa-
tiones, quas super ultimis tempori-
bus mundi paro, super ultimo eo
quadriennio erunt; quia vero arcana
hæc futura non constant ex princi-
piis Methaphysicis, aut physicis, sed
dumtaxat ex doctrina sacra nobis da-
ta supernè per Prophetas, maxime
per Ezechielem in duobus nuper di-
ctis capitibus, & per Daniele capite
7. atquè 12. nec non per Joannem
cap. 12. & 13. & 20. hi autem, sicut
etiam alii auctores Canonici, mise-
re solent sensum historicum, & alle-
goricum, nec non visionibus rerum
materialium, tanquam hieroglyphy-
corum, seu imaginum depictarum
divinitus in ipsorum phantasia, aut
mente adepti fuerunt arcanas has
notitias; hac de causa oportet præ-
mittere valorem, & robur sensus al-
legorici scripturarum, atquè explica-
tionem visionum rerum materialium,
quas omnes ferè Prophetæ, & præ-
sertim hi tres, toties ajunt se vidisse
tanquam emblemata, sive hierogly-
phyca, aut rerum futurarum, aut
præsentis alicujus doctrinæ, quam
tunc à DEO accipiebant.

CAPUT I.

*An, & quando sensus allegoricus, aut
moralis, aut Anagogicus Scriptura-
rum tenendus sit fide divina.*

§. PRIMUS.

I. **G**Ravis Theologus Perer in Di-
putatione de Antichristo con-
trà Anianum indefinite pronuntiat
de sensu mystico, non affert necessita-
tem credendi, sicut litteralis, sed pro-
babilem quandam dumtaxat congru-
entiam. Dico tamen, sensus mysti-
cus, allegoricus, Moralis, Anagogi-
cus, multorum textuum scripturæ,
multoties tenendus est fide divina
quoad

quoad talitatem talis sensus & quo ad veritatē talis rei, non minus quā sensus litteralis, quem præferunt aperte illa verba scripturæ; Non tamen contingit hoc semper. Hanc conclusionē multis exemplis firmavi Decade 1. num. 5. Profectō verba illa: *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*, in sensu obvio, & quasi litterali, significant consubstantialitatem Christi, atque excellentiam supra omnes hierarchias Angelicas; Ad id enim probandum producuntur à Paulo scribente: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu &c.* in sensu autem allegorico significat summum sacerdotium, & resurrectionem Christi Domini; At non minus tenendum est fide divina, verba illa significare, & docere hæc duo, quam significare, at docere illud primum. Quoniam idem Paulus, qui adducit illa ad probandum primum, adducit etiam illa ad probandum hæc duo. Probatur. Disputans de Christi sacerdotio, inquit. *Non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus &c.* Qui modus loquendi nē dicamus esse extrā rem, satis insinuat, verba illa Davidica docere Christum fuisse constitutum à DEO summum sacerdotem. Item annuntians Christi resurrectionem inquit. *Resuscitans IESUM, sicut in Psalm. 2. scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ergo fide tenendus est duplex hic sensus allegoricus eorum verborum, & consequenter fide tenendus est non solum quoad veritatem duarum illarum rerum, quæ utique ex scripturis aliis certō constant, verum etiam quoad talitatem sensus, quem illis Paulus dat. Similiter quod Abraham duos habuerit filios unum de Ancilla, & alterum de libera, sensus historicus est, & litteralis scripturæ; Quod autem futura essent duo testamenta, sensus est allegoricus illius scripturæ Genesis cap. 16. ubi fit mentio de conceptione, ac nativitate Ismaelis, & capit. 21. ubi narratur conceptio, atque nativitas Isaac; Atqui tam est de fide hoc allegoricum, quam illud historicum; Idem namq;

Paulus docet hoc allegoricum fuisse præfiguratum illo historico: *Quæ sunt, inquit, per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte sina in servitutem generans &c.* Ergo hic sensus allegoricus fide certus est.

II. Oseas dat tertium exemplum: *Oseas 12.* quando per eum dixit DEUS. *Ex Ægypto vocavi filium meum;* procul dubio locutus est in sensu litterali de ingressu filiorum Israel in Ægyptum, ex speciali providentia DEI, vel de egressu eorundem inde ex robore speciali DEI, prout fuerit subiectum, supra quod cadit illud *ex;* Et nihilominus fide certum est, quod allegoricus sensus illorum verborum fuit ingressus pueri JESU in Ægyptum; quippè Matthæus referens ingressum illum, & adducens illa verba osæ ait. *Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum.* Si autem Prophetica illa verba non significarent allegoricè ingressum JESU in Ægyptum, ut illa adimplerentur, hoc est verificarentur, opus non esset eo ingressu. 4. Quando Jeremias dixit. *Vox in Rhama audita est, ploratus, & ululatus multus Rachel plorans filios suos &c.* certe locutus est in sensu litterali de transmigracione reliquiarum populi Israelitici in Babylonem, sed etiam locutus est allegoricè de carnificina Innocentium: Quoniam Matthæus narrans illam adjungit: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita est.* Si autem Jeremias prædicens in sensu litterali transmigracionem illarum reliquiarum, non prædixisset quoque allegoricè carnificinam illam, per hanc non esset adimpletum suum vaticinium. 5. quando Isaias loquens de Christo domino prædixit: *Verè Isai. 53. languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit,* loquens de re tunc futura tanquam de jam præterita, insinuandi ergo certitudinem futuritionis, ut vulgare est in scriptura, certè dicebat in sensu litterali percussum eum, & humiliatum à DEO, quem ibi depingit, sumpsisse supra se

dictio-
altem
ecten-
spu-
pori-
mo eo
arcana
princi-
is, sed
ois da-
aximè
er di-
capi-
annem
sicut
mife-
& alle-
rerum
yphy-
tarum
a, aut
as has
t præ-
sus al-
xplica-
alium,
& præ-
vidisse
rogia-
n, aut
quam

Phil. 2.

ad Heb. 1.

Ibid. c. 5.

Aber. 13.

s, aut
ur-

in Di-
to con-
umtiat
cessita-
d pro-
ongru-
mylti-
agogi-
orura,
divina
oad

se nostrorum peccatorum pœnas, ut constat ex toto eo capite; Et fide insuper tenendum est, prædixisse etiam in sensu allegorico remedium corporale morborum etiam corporalium; quoniam Matthæus post narratos aliquos morbos corporales, à quibus homines liberaverat Christus, addit: *ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit, & egrotationes nostras portavit*: Si autem verbis illis non prædixisset Isaias, fore, ut Christus mederetur morbis etiam corporalibus, horum curatio non esset necessaria, ut adimpleretur vaticinium illorum verborum.

III. 6. De Joanne Baptista dixit

Matth. 11. Dominus. *Si vultis recipere ipse est Elias.*
Idem 17. Et rursus. *Elias quidem jam venit, & non cognoverunt eum; Tunc intellexerunt discipuli &c.* Ubi satis innuit Christus verba Malachiæ, & Ecclesiastici, ad quæ alludit, & quæ nobis exponit, significasse in sensu quidem litterali Eliam Tesbitem; in Mystico autem, seu allegorico Baptistam. Denique omnia illa de agno paschali, de transitu maris rubri, de Manna, de Petra, consequente Israelitas, & aquam illis præbente &c. dictata sunt per spiritum sanctum in sensu historico ac litterali, & etiam in sensu morali, & mystico juxta Paulum de illis scribentem. *1. ad Cor. 10.* *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.* Parco multis aliis, & ex his formo sic rationem: Quoties author Canonice exponit aliqua scripturæ verba, certissima fide tenendum est verba hæc habere sensum quem illis dat author ille, atque significare id quod dicit significare. Authoribus quippe Canonice non solum astitit DEUS, ut nihil falsum dicerent in historia aut doctrina morum, verum etiam, ut nullam falsam nobis darent expositionem scripturarum, docentes DEum tali, aut tali scriptura dixisse, quod revera non dixerat; alias authores Canonice impegissent in scopulum illum, quem falsis Prophetis exprobat verus *Ezech. 13.* *Propheta, quia dicebant Dominum esse locutum; Cum dominus non sit locu-*

tus, dignique forent quibus diceremus cum Job: Numquid Deus indiget mendacio vestro &c. Atqui, ut constat ex dictis, authores Canonice multoties exponunt scripturas in sensu allegorico, mystico, & morali; Ergo certissima fide tenendum est scripturas illas habere sensum illum, & DEUM illis verbis docuisse sensum illum allegoricum, & consequenter sensum hunc non esse voluntarium nobis, aut fundari in mera aliqua congruitate, si vè analogia rei dictæ in sensu litterali, cum re alia spectante ad fidem, mores, aut historiam, in materia novi testamenti; sed ex fide divina credendum esse, ut potè verè, ac simpliciter intentum ab ipiritu sancto verbis illis.

IV. Ratio quasi à priori est. Quamvis non sit de fide proximè quoad nos, nihil illud, quod evidentia aut certitudine morali nobis constat esse dictum à Deo, (excepto quando homo, superbiâ cupidine, aut alia diabolica passione correptus, avertit oculos mentis, nè attendat illi evidentiam, & exercitè dicit, licet non signatè, *scientiam viarum nostrarum nolumus*, ac quando nimio metu, vel protervia, vel cæcitate obrutus, non fidit evidentiam dictæ, ita ut de eo verificetur, quod apud Marcum scriptum est. *Videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & non intelligant* eo, quia mera probabilitas revelationis divinæ quoad existentiam, vel quoad sensum, non sufficiat assensui fidei, ut latè exposui ac probavi tract. de fide Disp. 3. Veruntamen de fide est *absolutè, ac in se*, quidquid DEUS ex intentione quod ab homine credatur, dicit per authores Canonice, quoniam in hujusmodi expressionibus rerum ex intentione, quod alius assensum præbeat, stat quidditas locutionis, ut probavi Disp. 1. Dialecticæ n. 3. & 8. At unis, eisdemque numero verbis, maxime quando sermo est propheticus, & consequenter obscurus ex suo charactere, solitus fuit DEUS dicere, ac docere, res inter se valdè diversas; alias spectantes v.g. ad verum testamentum, alias ad novum, alias spectantes ad unum ordinem rerum, alias ad alium. Quod & nos in nostris quotidianis colloquiis face-

facere solemus: Ergo eadem numero verba, scripturæ solita sunt facere de fide saltem *absolute*, ac *in se*, res valde diversas, alias spectantes ad historiam rei præteritæ, ac futuræ, & hic est sensus litteralis, alias pertinentes ad id, quod credere debemus, & hic est sensus allegoricus, alias ad id, quod agere debemus, & hic est sensus moralis, alias demum ad terminum, in quem tendimus, & hic est sensus Anagogicus, juxta præfatos illos, & rudes verficulos, sed veraces: *Littera gesta docet, quid credas allegoria, moralis quid agas, quo tendas Anagogia*: Ergo si in tali, aut tali textu particulari contingat, quod spiritus sanctus per alium posteriorem authorem Canonicum docuerit ea verba præter hanc, aut illam rem spectantem, v. g. ad historiam in materia testamenti veteris, significare etiam rem aliam pertinentem ad historiam tunc futuram novi testamenti, vel pertinentem ad fidem, vel ad mores &c. tunc erit de fide, vel absolute, & in se, vel proxime quoque quoad nos (prout fuerit noticia, quam habemus de interpretatione illius Canonici authoris) verba illius textus non solum significare primum, sed in super secundum, aut tertium: quippe, ut dixi, Authores hi non solum fuerunt adjuti per spiritus sancti assistentiam in eis, quæ docuerunt directe, sed etiam in eis, quæ docuerunt reflexè, id est adium fuerunt in sensu, quem dant scripturis aliis sanctis, atq; in eandem expositione.

V. Cæterum quando verba scripturæ neq; per se formaliter, neq; ex communi usu, neq; ex interpretatione Authoris Canonici, neq; ex Ecclesiastica definitione, habent talem, aut talem sensum allegoricum mysticum, mortalem, aut Anagogicum: Tunc unquam, licet potuerit DEUS inspirare illa ex intentione docendi, & manifestandi suo tempore talem, aut talem allegoriam, & consequenter licet hæc possit esse de fide absolute, ac in se; at tamen non est de fide proxime quoad nos ob defectum evidentiam, si vè certitudinis moralis de eo, quod DEUS verbis illis, intenderit significare, ac do-

R. P. illa de Principio & Fine Mundi.

cere talem allegoriam, moralitatem, Anagogiam &c. Cum non sit necessarium, quod DEUS intenderit quibuslibet verbis scripturæ docere, aut significare omnes prorsus sensus, quos illa possunt habere, cum interdum habere possint ex se, atq; specicativè sumpta, sensus alicui eorum contrarios: neq; istud docuit Paulus, quando scripsit: *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: Non enim dixit ad omnem prorsus doctrinam nostram, tanquam de fide, quam simpliciter accipere poteramus per illa verba, quando intentam esse à DEO per illa verba, est moraliter evidens, aut ex sensu plano, obvio, & litterali eorum, aut ex interpretatione Canonica, vel Ecclesiastica infallibili juxta principia, quæ dedi Disput. illa 3. de fide, circa evidentiam prærequisitam ad autem fidei. Aliàs quoties interpretes dubitant de sensu alicujus textus, qui rationabiliter potest habere multos, & diversos sensus, omnes hi essent de fide proxime quoad nos: quæcumq; igitur ab authoribus Canonicis scripta sunt, ad nostram doctrinam, vel de fide, vel certam Theologicè vel probabilem scripta sunt, prout fuerint fundamenta, ex quibus elicitur doctrinam illam intentam esse per DEUM mediis illis verbis: Unde fit, quod sensus allegoricus interdum est de fide nempe quando datus est per authorem Canonicum, ut sunt illi, quos supra produxi: Interdum est Theologicè certus, nempe quando negare illum, non foret hæresis formalis, esset tamen error: Interdum est simpliciter, & absolute suscipiendus juxta rectam rationem, eo quod respuere illum esset incidere in saporem hæresis, scandali, temeritatis vè, juxta explicationem harum omnium censurarum, ac qualitarum, quas exposui Disp. 1. de fide: Interdum denique est merè probabilis, utpote fundatus in mera quadam proportione Analogia, consonantia, si vè similitudine inter illud quod in sensu pervio, & litterali dicit ille textus, atque id ad quod significandum in materia novi testamenti, si vè in materia morum, si vè in materia nostræ beatitudinis, applicatur à Theologis: Et sic non sunt de fide proxime quoad nos,

S

nos,

nos, & nonnunquam nec Theologicè certi, sed multoties merè probabiles, multi sensus allegorici, mystici, morales, atq; anagogici. quos ex scripturis & præsertim ex Cantico Canticorum elici solent; in quibus sensibus est simpliciter verum, & plerumq; est de fide, illud, quod enuntiatur juxta aliquos Authores, utpote erutum ex scripturis aliis; sed quod illud doceatur à DEO per illa Canticorum, v. g. *verba*, solet esse merè probabile; Et multoties quoque non dicunt Theologi sensum illum mysticum, allegoricum &c. intentum esse à DEO per illa verba; sed re significata per verba illa utuntur tanquam similitudine ad dandum doctrinas quasdam veras, quas dare volunt circa id, quod credere, agere, aut sperare debemus.

VI. Ratio, propter quam hæc pro-
tuli, est: pauca admodum narrat nobis
scriptura in sensu historico, & litterali
de ultimo illo mundi quadriennio, &
de Antichristo, nempe illa sola, quæ
scripta sunt à Matthæo, Joanne, & Pau-
lo: scilicet quia nobis tunc non victu-
ris brevis hæc, & non penitus aperta
notitia sufficiebat. Pleraq; verò data
sunt nobis sub allegoriis, vel cornuum,
ut in Daniele, vel bestiarum, ut in Apo-
calypsi, vel Gog, & Magog, ut in Eze-
chiele, vel excidii Jerosolymitani ut in
Matthæo, quas allegorias tunc capient
fideles tunc victuri, qui cernentes il-
lam rerum Catastrophem, & sacras
scripturas recalescentes, depræhendunt
sensum, qui latebat sub eis allegoriis,
& fortius confirmabuntur in fide, ex-
perientes suo tempore fieri, quæ tot
retro sæculis erant scripta, & aures ad-
movebunt illi voci, quam non sine
causa edidit Christus loquens de di-
stante excidio mundi, occasione pro-
ximioris excidii Jerosolymitani: *Ecce*
Matth. 24. prædixi vobis, & in hoc excidio tan-
quam in typo, simbolo, emblemate,
seu figura, exponens illud: sic nos vi-
dentes verificata in lege Evangelica
multa illa, quæ sub allegoriis dicta fue-
runt priscis hæbreis in lege veteri,

quæq; illorum pleriq; non capiebant,
magis radicamur in Evangelica do-
ctrina: Inter illas prædictiones re-
rum futurarum in ultimo quadri-
ennio, quæ merè allegoricè fuerint, ægrè
assignabitur ulla, quæ fide tenenda sit,
quia non apparet evidentia aut certi-
tudo moralis fundata in expositione
illarum facta per Authorem Canon-
icum, aut per infallibile oraculum Ec-
clesiæ de eo, quod sub eis, allegoriis
significare intenderit spiritus sanctus
tales, aut tales res in eo quadriennio
futuras. Aliæ itaque sunt merè pro-
babiles, quia fundantur duntaxat in
aliqua analogia, sive similitudine re-
rum, quas enuntiant in sensu litterali
scripturæ, cum rebus, in eo quadri-
ennio futuris. Aliæ sunt firmiores, &
gradum attingunt certitudinis mora-
lis (quam vis non illum, qui prærequi-
ritur ad assensum fidei, non enim con-
sistit in indivisibili certitudine moralis)
ob ferè unanimum interpretationem
Patrum: quod enim ab initio tradide-
runt hi, & per horum manus descendit
ad nostra usq; tempora circa doctrinam
sacram, magnum habet funda-
mentum in scriptura, licet non accesserit
Ecclesiastica definitio: Aliæ de-
mum videntur minus veræ, & quæ so-
lum possunt accipi de rebus tunc futu-
ris cum limitatione *sicut*, aut simili,
hoc est *sicut* contingit hoc, & illud,
quod docet hæc scriptura, *ita* contingit
idem, aut simile in eo quadriennio &c.
sicut Antiochus, qui propter suam im-
pietatem fuit insignis figura Antichri-
sti, tale, ac tale inculit crudele bellum
Ecclesiæ hæbreæ; Ita Antichristus in-
feret Ecclesiæ Christianæ: sicut in ex-
cidio Jerosolymitano, sub cujus typo,
& cujus occasione prædixit Christus
multa de ultimo excidio mundi, irru-
erunt tales, & tales calamitates in ho-
mines, ita irruent in ultima mundi
periodo. Hæc dixerim de scripturis
illis, quæ allegoricè loqui videntur de
ultimis eis temporibus; nam quæ lo-
quuntur in sensu litterali, tenendæ
sunt procul dubio fide divina.

Matth. 24.
Apoc. 11. 19.
& 20.
2. ad Thess.
cap. 2.
Dan 7.
Ezech. 38.
& 39.

Matth. 24.

§. SECUNDUS.

VII. **H**inc fit, quod licet magna pars capitis undecimi Danielis, præcipuè à versu 21. ubi de quodam, tunc futuro, prædicitur ablatum *juge sacrificium*, nimirum omnia sacrificia, quæ in templo Jerosolimitano offerebantur DEO, & inducturum *abominationem*, item, quod *DEum Patrum suorum non reputabit*, & *erit in concupiscentiis seminarum*, nec *quemquam Deorum curabit* (unde Atheista erit) *qui adversum universa consurgit*. *DEum autem Maozim* (hoc est bellum, & divitias,) *in loco suo venerabitur*, & *DEum, quem ignoraverunt Patres ejus, colet auro &c.* Licet inquam hæc omnia possint significare in sensu allegorico Antichristum, quatenus hic faciet hæc eadem, aut similia aut peiora; verumtamen nequè hæc allegoria ad Antichristum est de fide, quandoquidem nullus author Canonicus interpretatus est hæc de Antichristo, sicut interpretati sunt textus supra erutos ex veteri testamento de rebus spectantibus ad novum; nequè pro hac allegoria est ulla Ecclesiastica definitio, aut unanimes omnium Patrum consensus; quippe graves Theologi intelligunt illa de solo Antiocho; nec demum caput illud undecimum procedit in sensu litterali, & obvio de Antichristo; quoniam, ut merito exponit illud Sanchez, sensus litteralis totius illius Colloquii Gabrieli cum Daniele est de Regibus Persarum successuris Cyro tunc regnanti, de Xerse infauste invasuro Græciam, de Alexandro Regionem Orientalem subjugaturo, de hujus Imperio in quatuor Regna dividendo, de duobus tunc præcipuis hujus divisionis membris, scilicet Ægypto, quam vocat Regnum Austru, cui Ptolomeus erat dominaturus, & de Syria, quam dicit Regnum Aquilonis, cui Antiochus dominaturus erat; Item de vario bello inter hos duos Reges, inter quos cum esset Judæa, multa utrinquè mala in hanc reduntatura erant; Et demum de scelerato Antiocho Epiphane, de quo

R.P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

dicit Gabriel ablatum *juge sacrificium*, nempe cuncta sacrificia quotidiana, quæ soli DEO offerebantur, & causaturum *abominationem desolationis*, quem postea refert scriptura inquitens. *Misit Rex senem quendam Antiochum, qui compelleret Judæos, ut se transferrent à Patriis, & DEI legibus, contaminare etiam, quod in Jerosolymis erat templum, & cognominare Jovis Olympii*: Et quamvis Christus Dominus meminerit desolationis *abominationem à Daniele Propheta prædictam*, non videtur citare illam individuum, de qua Daniel loquitur capite illo undecimo, & quam induxit Antiochus tempore Macchabæorum, quoniam hæc jam præterierat, & Dominus loquitur de *abominatione postea futura*: *Cum videritis abominationem &c.* Undè loqui videtur, aut de illa, de qua Daniel capite 12. v. 11. inducenda ab Antichristo, ut infra dicam (quoniam bis locutus est Daniel de *abominatione desolationis*) aut de illa, quam inducturi erant Romani, quando venerunt ad Jerosolymam destruemdam: Subjungit enim, *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & eam abominationem desolationis vocat dicitur à Daniele, vel quia fuit similis illi, quam Daniel prædixit inducendam ab Antiocho: & est vulgare in scriptura appingere idem nomen rebus specialiter inter se similibus, ut Decade 4. notavi. Vel potius, quia licet Daniel in sensu litterali prædixerit capite 11. abominationem desolationis inducendam ab Antiocho, sub illius figura, & typo prædixit quoque in sensu allegorico, eam, quæ per Romanos erat inducenda: Undè allegoria illorum verborum capitis undecimi ad abominationem per Romanos inducendam, fide tenenda erit, quippe quæ in hoc sensu exposita videtur à Christo, qui non sine causa immediatè addidit: *Qui legit intelligat*, quasi abominatio à Romanis inducenda prædicta fuisset non in sensu litterali, & obvio, sed in sensu arcano, & magis difficili, quia allegorico. De simili autem abomina-*

tione desolationis stante in loco sancto inducenda per Antichristum, nec Danielem, nec Christum Dominum constat omnino certè, ac de fide, sed tantum probabiliter, locutos fuisse *in his locis*, in sensu litterali, aut allegorico: non ergò potest elici magnum argumentum ex capite illo undecimo (secus ex duodecimo) Danielis pro noticia rerum Antichristi, aut aliarum, quæ contingent in ultimo quadriennio mundi.

VIII. Potest verò elici ex capite 7. ejusdem Danielis, ubi multus est sermo de cornu parvo, ante quod evulsa sunt tria conua illius bestia: Hoc enim cornu non potest significare allegoricè Antiochum prænominatum, ut contra Porphyrium docent Hieronymus, & Theodoretus. Neq̄ potest alludere ad Mahumetem. Tum quia hic altè loquitur in suo Alcorano de Venerabili Eucharistia, hæc autem veneratio, & alta existimatio longè distat à Characterè Antichristi. Tum quia illi non competit, quod tempora, & leges tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est per tres annos, & dimidium, ut communis est sensus Ecclesiæ fundatus in his v. verbis Danielis, & in aliis scripturis. Potentia namquè impostoris illius, nec non sectæ suæ, per annos multo plures duravit, ut constat, imò plures, quam 350. si ad hos extendas tempus, & tempora, & dimidium temporis, ut aliqui extendunt. Quamobrem licet nonnullæ proprietates cornu illius initio parvi, & deinceps potentissimi, benè cadant in Mahumetem, v. g. quod multi reges coram illo corruerint nempe Arabia tota, aquilonaris Africa, plurimæ Regiones Orientales &c. non aptantur illi omnes: significat ergò in sensu allegorico illud cornu Antichristum juxta communem ab exordio Ecclesiæ intelligentiam: quod autem altè insedit Ecclesiæ à suo Exordio magnum habet in scriptura fundamentū. Ergò ex hoc capite 7. Danielis eruere possumus notitiam de rebus Antichristi, & consequenter de rebus futuris in ulti-

Dan. 7. 25.

mo mundi quadriennio. Possumus item ex capite duodecimo ejusdem Prophetæ, quoniam licet Chrysostomus doceat totum illud caput procedere de Antiocho; at quæ ibi dicuntur de resurrectione mortuorum, nimirum *alii in vitam aeternam, & alii in opprobrium, ut videant semper*; Item de diebus *mille ducentis nonaginta*; & rursus de diebus *mille trecentis triginta quinque*, minimè videntur convenire posse tempori Antiochi, sed solius Antichristi temporibus, ut infra explicabo: ubi advertè, bis, ut nuper dicebam, facere mentionem Danielem, seu potius Angelum apud Danielem, de ablatione jugis sacrificii, & de abominatione desolationis: Capite nimirum undecimo v. 51. *Auferent jube sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem*: & tunc est sermo de Antiocho, sive de suis brachiis, & ministris, dicit enim, *brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent jube sacrificium &c.* ad hanc ablationem, & abominationem desolationis non alludit Christus Dominus, ut paulò antè dicebam, quia hæc ut potè facta tempore Antiochi, erant jam præterita, & Christus loquitur tanquàm de refutura: *Cum videritis abominationem desolationis &c.* facit iterum mentionem de ablatione jugis sacrificii, & desolatione cap. 12. v. 11. *A tempore cum ablatum fuerit jube sacrificium, & postea fuerit abominatio in desolationem, dicit mille &c.* & tunc est sermo historicus, & simul allegoricus; sed respectivè, atquè distributione accommodatum de excidio Jerosolymitano, & ad hoc alluit Dominus, quando prædixit Judæis tunc viventibus & victuris aliquandiu post: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta &c.* tum de excidio patrandò per Antichristum, & suos sequaces: & ad hanc potuit etiam Dominus alludere dirigens verba illa non solum ad Judæos tunc præsentès, sed insuper occasione horum & sub typo suæ calamitatis, ad Christianos futuros in ultima periodo mundi, atquè idcirco etiam videtur adjunxisse ibidem: *Qui legit intelligat, maxime cum paulò post addat: statim autem post tribulationem dierum illorum*

sol

sol obscurabitur, quod est indicium se loqui de ultima quoque mundi periodo: non enim est novum, quod unis eisdemque verbis diversa diversis dicantur, maxime quando inter utraque, est magna similitudo in materia, de qua tunc est sermo.

IX. Quæ igitur Angelus docuit Daniëlem capite II. v. 21. sunt Prophetica historia sævitæ impietatis, atque superbiæ Antiochi Regis, & calamitatum Judæorum sub illo, nec non fortitudinis, atque pietatis Machabæorum, quam illis verbis indicat: *Populus autem sciens DEum suum obtinebit, & faciet, & docti in populo docebunt plurimos, & ruent gladio &c.* item invidiæ, fraudulentæ, atque impietatis simonis, Menelai & aliorum nequam Judæorum, quos quasi digito ostendit, inquit: *Impii in testamentum simulabunt fraudulentè: Et rursus: Applicabuntur eis, nimirum viris sapientibus, plurimi fraudulentè; quæ omnia constabunt conferenti eam partem illius capituli cum libris Machabæorum præsertim cum lib. 2. à capite 4. sunt item Prophetica allusio sive allegoria ad calamitates Judæis subeundas tempore excidii Jerosolymitani: Et hoc videtur omnino certum propter verba illa Domini: Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta: Ergò desolatio, quam visuri erant aliqui ex illis Judæis, quos Christus tunc alloquebatur, dicta fuerat à Daniele; sed illi non erant visuri aliam, nisi quæ contigit tempore Romanorum: Ergò hæc dicta fuerat à Daniele, si non in sensu historico; at saltem in allegorico; verè tamen ac simpliciter dicta fuerat. Quæ autem Angelus docuit Daniëlem capite 12. omnino videntur Prophetica historia temporum Antichristi propter tres rationes: I. tamen si verba, quibus incipit caput hoc. *In tempore autem illo consurgit Michael Princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui, videantur reflectere supra tempus, de quo fuit sermo capite immediate antecedente, quod dixi fuisse tempus, non utique Antichristi, sed An-**

tiochi, quo sæviente, credibile est, Michaelém consurrexisse specialiter pro illo populo, sicut juxta testimonium ejusdem Gabrielis consurrexit, quando agebatur de illius libertate à captivitate Babylonica: *Michael unus de principibus primis venit in auditorium meum. Etrursus, Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester: Licet inquam hoc ita sit; attamen cum nequeant cadere in tempora Antiochi illa, quæ immediate adjunguntur, nempe. Veniet tempus, quale non fuit ab eo; ex quo gentes esse ceperunt usque ad tempus illud, quia licet magna fuerit illa persecutio Antiochi, ante illam passus est populus hæbreus alias forsitan majores, v. g. persecutionem Pharaonis; Nabuchodonosoris, & aliorum, ut constat ex libris Judicum Atque Regum; & esse tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi, de sola ultima, quæ futura est tempore Antichristi dicitur à Domino: hac de causa licet nobis exponere initium illius capituli duodecimi Daniëlis. *In tempore autem illo, per regulam satis notam, & frequentem in scripturis, præsertim Prophetis, & cujus meminit Gregorius, videlicet hos sanctos homines sæpissimè nectere verba non cum eis quæ tunc erant præsentia, aut proximè præcesserant, sed cum eis, quæ tunc in mente habebant; undè proveniunt repentini ei transitus ab aliis ad alias res, qui leguntur in Prophetis, & quibus hallucinari solent, qui non legunt illos caute, ac pederentim; agentes quippe de re spectante ad vetus testamentum transeunt de repente ad rem novi testamenti, cujus speciem sive notitiam tunc DEUS infudit illis repente; Consule sanctium. At cum Daniëlis Angelus capite II. fusè egisset de tribulatione imminente ab Antiocho Ecclesiæ hæbrææ, potuit, ut toties contigit aliis Prophetis, accipere aliquod lumen supernum de tribulatione imminente Ecclesiæ Christianæ ab Antichristo, cujus fuit imago, & typus Antiochus: Ergò licet capite II. agat de Antiocho, & persecutione per-**

Dan. 7. 18.
v. 31. & 22.

Matt. 24.
21.

Greg in
Ezech. 11. 2.

Caspar.
Sanct in 4.
Isai. 21.

eum movenda contra Judæos, potuit repente transire ad Antichristum, atq; ad persecutionem quam hicciebit; ita ut exordium illud, *in tempore autem illo*, non significet tempus, de quo immediatè ante fuerat locutus; sed tempus quod tunc ipsius menti obverfabatur. Improprio namque cum temporibus Antiochi illorum, quæ ibidem adjungit, & magna proportio eorundem cum temporibus Antichristi, est rationale fundamentum ad hanc interpretationem simul cum consuetudine Prophetarum.

X. Ratio secunda est, quam suprâ insinuavi: Esto, quod verba illa Pauli:

2.1 Hebr. II.
35.

Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, significant aliquos occisos ab Antiocho resurrexissè, quæ resurrectione satisfactum videatur verbis illis capitis duodecimi Danielis. Multi de his, qui dormiunt in terra pulvere evigilabunt; ast quomodo satisfit perillam resurrectionem verbis, quæ immediatè subjungit Daniel: Alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.

Num mortui illi, quos acceperunt mulieres de resurrectione, surrexerunt jam immortales ante Christi adventum, alii in cælum, alii in infernum? Ergo Daniel in eo capite 12. non loquitur de resurrectione tempore Machabæorum. & Antiochi, sævientes in illos; sed de resurrectione ultima, & universali, in qua omnes resurgent immortales, alii ad æternam gloriam alii ad pœnam æternam: neq; obstat, quod dicat *multi non verò omnes evigilabunt*: quoniam, ut jam alibi adverti *multi* solet poni in scriptura pro *omnes*, v. g. *Pro multis effundetur* (hoc est *pro omnibus* juxta Joannem) *in remissionem peccatorum.* Item *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, hoc est, *omnes*: Et merito, nam omnes verè sunt multi. Tertio quomodo aptantur temporibus Antiochi duo illi exacti, & præcisi numeri dierum, quos meminit Angelus in eo capite 12. Danielis, videlicet:

Matth. 26.
28.

1. Joan. 2.

ad Rom. 5.
19.

Dies mille ducenti nonaginta, item dies mille trecenti triginta quinque; Temporibus autem Antichristi, atque Gog

aptantur rationabiliter, ut infrâ exponam. Stat ergo, quod licet caput undecimum Danielis sit super rebus Ecclesiæ hæbreæ in persecutione Antiochi, ex hac transivit Angelus ad res Ecclesiæ Christianæ in persecutione Antichristi, & Gog. Dices, Daniel dicit versu 8. illius capitis, *Ego Audioi, & non intellexi*, & cum explanationem poposcisset ab Angelo, hoc solum audivit responsum, *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus*: Quo itaque jure præsumimus nos intelligere in verbis capitis illius, quæ Daniel non intellexit, & sermones aperire, quos Gabriel dixit clausos, & signatos esse? Respondeo, neque intelligimus, neque aperimus Prophetias scriptas in eo capite, ita ut certò, clare, resolute, atque evidenter pronuntiemus, quæ hæctenus pronuntiavimus, & deinceps pronuntiabimus de capite illo; sed ita ut instructi per alias scripturas, divinitus etiam inspiratas posterioribus authoribus Canonicis, quos Daniel tunc non audierat, rationabiliter opinemur, aut suspicemur, prophetias illas significare, quæ eventura sunt Ecclesiæ Christianæ in ultima periodo mundi. Quod autem decursum temporum aliquatenus poterant comparari hæc notitiæ, non utique ex schola naturali, sed ex schola aliorum authorum Canonicorum sufficienter insinuavit ibidem Gabriel dicens Danieli. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.*

XI. Possumus 3. eruere notitiam super his rebus ex capitibus 12. 13. & 17. Apocalypsis; quoniam Emblemata illa mulieris amictæ sole, & mulieris fornicariæ, & Draconis, & bestie ascendenti è mari, quasi apertè significant res futuras in ultimo quadriennio mundi. Aliis namquè temporibus, & statibus, & personis, male congruunt, ut infrâ exponam. Possumus 4. elicere dictam notitiam ex capite 24. Matthæi (idem de aliis Evangelistis referentibus, quod Matthæus ibi) & ex capite 2. Epist. 2. ad Thessalonicenses, quoniam scripturæ hæc

hæ apertè loquuntur de Antichristo, & de ultima tribulatione Ecclesiæ. Ex prima autem epistola Joannis videtur, quod non possit acquiri magna notitia his super rebus; quoniam licet loquatur de Antichristo, non videtur loqui de illo in se ipso sed de illo in suis membris, & in sui similibus. Possumus demum elicere argumenta ex capite 20. Apocalypsis, & ex capite 38. & 39. Ezechielis, quia ibi multus, & grandis sermo de quodam Gog, de quo fufius disputabo infra ubi advertit, diversas fuisse Patrum sententias de homine hoc, quas legere potes apud sanctum; Augustinus autem, & Hieronymus intellexerunt totam illam historiam Gog, & Magog in solo sensu mystico, sed non est cur non intelligatur in sensu quoque literali, & historico. Imprimis ille Gog non potest esse Antiochus, ut bene advertit Riveras quia licet Antiochus erat futurus respectu Ezechielis, quo multos annos fuit posterior; at non erat futurus respectu Joannis, quem sanè præcesserat per annos non paucos: Atqui Joannes loquitur de Gog, & Magog tanquam de futuris (& quidem esse illas easdem personas, quas meminit Ezechiel, constabit conferenti verba & sententias Joannis cum verbis, & sententiis Ezechielis) ait enim de

Apoc. 20. 7. Diabolo soluto; *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ; Gog, & Magog; & congregabit eos in prælium Sc.* Ergo. Deinde quia per Ezechielem sic loquitur DEUS ad Gog nondum natum. *In novissimo annorum venies: Antiochus autem non venit in novissimo annorum, cum post illius adventum transierint multa sæcula: Ergo Antiochus non erat ille Gog. Deinde ille Gog potest esse allegoricè; ut dicebam Decade 4. Sed non per identitatem Antichristus ipse. Primum, quia cum regnaturus sit tres Annos cum dimidio, veniet antè novissimum annorū; Gog autem signanter dicitur ab Ezechiele capite 38. venturus in novissimo annorum. 2. quia Antichristus erit colluvies omnium iniquitatum, &*

præsertim superbiæ contrà Christum, & DEUM, ino hæc diabolica superbia erit suus Character; Gog autem, neque Joannes, neque Ezechiel obijciunt aliud crimen, nisi avaritiam, propter quam bellum movebit contrà sanctos; hoc autem crimen licet gravissimum par non est elevationi contrà DEUM ipsum, & contrà Christum ejus, quam elevationem non præterisset Ezechiel infumens duo capita in historia Prophetica super rebus Gog. 3. quia de Antichristo, & de suo præcurfore Pseudopropheta dicit Joannes. *Viri missi sunt tibi duo in stagnum ignis ardentis sulphure: Atqui Gog dicit DEUS per Ezechielem. Dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere facient prætereuntes (sicut membra dispersa prædonum appensa juxta vias publicas) & sepelient ibi Gog Sc. Quæ sepultura, & sepulchrum, & individualia sepulchri signa non bene aptantur homini, qui missus est vivus in infernum; Ergo Antichristus non est ille Gog, de quo loquuntur Ezechiel, & Joannes. Objicies: Etiam Joannes scribit Gog, & Magog, cum suis devorandos esse igne cælesti. *Descendit ignis à DEO de celo, & devorabit eos,* quod videtur non bene stare cum eo nominato sepulchro, & sepultura Gog in ea valle, & in eo individuo loco Orientali.*

XII. Et ratio esse potest. Non solum vocatur sepulchrum illud, in quo actu est conditum cadaver, sed etiam illud, quod extruitur, ut in illo conderetur, si extaret, atque ut funeralis memoria personæ illius conservaretur. At fieri potest, quod Gog in ea individua valle viatorum descendat vivus in infernum, & quod homines ad memoriam, & terrorem extruant ibi fabricam sepulchralè illius, vacuam quidem cadavere, sed horrore plenam, ergo fieri potest, quod ille Gog, cujus sepulchrum meminit Ezechiel, sit ille idem, quem vivum missum fuisse in stagnum sulphuris scribit Joannes. Sed contrà

I, ta-

P. Sanb. in
38. Ezech.P. Rivera in
20. Apocal.

Apoc. 19. 20.

Ezech. 39. 11

i. tamen si hoc utcumque valeret, si Ezechiel non dixisset aliud, quam *sepulchrum*, quandoquidem esse solent sepulchra vacua, non tamen valet addente Propheta, *sepelient ibi Gog*, nempe homines; quia horum verborum simplex, & planus sensus (à quo ut declinemus nil obligat) est Gog sepeliendum esse ibi more solito, quo alii mortui sepeliuntur, nempe condendo ibi sua cadavera: Nequit autem ibi sepeliri suum cadaver ab hominibus more solito, si ille vivus præcipitandus est in infernum. Ergo sepulchrum illud, de quo Ezechiel, non erit vacuum, & solum ad terrorem, sed sepulchrum verum, & reale continens corpus illius hominis. 2. aliud est, quod ignis devoret hominem, quatenus nil penitus restet hujus, quod sepeliri possit, nec caro, nec ossa, nec cineres ipsi; Aliud verò, quod hominem devoret, quatenus hunc occidat & carnem totam, aut ferè totam absumat, ita verò ut ossa restent, vel saltem cineres. Si Joannes diceret illud primum de Gog, subsistere poterat istud de sepulchro vacuo, & non valeret argumentum desumptum ex Ezechiele; At verba Joannis ad hoc non obligant, quoniam etiam dicit scriptura de duobus filiis Aaron: *Egressusque ignis à Domino devoravit eos, & tamen restarunt cadavera illorum, tulerunt eos, sicut jacebant vestitos lincis tunicis, & ejecerunt foras.* Rationabiliter potest intelligi, Joannes dicere tantum secundum, ut in nupero exemplo, atque ut dicit DEUS per Ezechielem loquens de hoc eodem Gog, cum suis lateronibus, *ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus.* Secundum, autem stat cum sepulchro continente saltem ossa, & cineres, quia de hoc eodem Gog, & ejus exercitu igne cœlesti pereunte dicitur capite sequente ejusdem Ezechielis vers. 11. *sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem ejus, & vocabitur vallis multitudinis Gog, & sepelient eos Domus Israel cum mudent terram septem mensibus;* Sed secundum non stat cum eo, quod

Levit. 10.

Ezech. 38.
22.

vivus, id est corpore, & animal missus sit Gog in infernum. Denique Joannes loquens de igne vibrato supernè contra Gog, & contra hujus milites non dicit *devoravit eum*, sed *devoravit eos*; Ergò cum veritate hujus sententiæ stat, quod ignis ille devoraturus exercitum Gog, hunc non devoret, ita ut nil penitus hujus restet sepeliendum. Constat itaque Antichristum non esse illum Gog, quem Ezechiel, & Joannes meminerunt: Verumtamen quæ de illo prædicant ambo, notitiam præbent de ultimis illis rebus mundi, quia ut infra dicam, ille Gog in *novissimo annorum* venturus, erit ultimum instrumentum Diaboli, & ultimum telum, quod post Antichristum extinctum, contorquebit contra fideles ut ex capite 20. Apocalypsis eliciam.

XIII. Hinc minus verè scripsisse viderur Bellarminus semel, & iterum Hispanos militaturos in exercitu Antichristi: Tum quia prædictus Gog non constat quod sit verè, ac realiter per identitatem, quidquid sit de similitudine, Antichristus, de quo loquuntur scripturæ imò nuper probabam positivè, non esse: Et saltem est inter Patres res dubia, ut videre est apud sanctium supra citatū: Ergo ex eo, quod hispani militaturi sunt in exercitu Gog non inferitur, ut vult hic author, illos militaturos in exercitu Antichristi. Tum quia fundamentum, cui innititur est, quod Ezechiel numerat in exercitu Antichristi Tubalem. Hoc autem non est verum quia verba sunt hæc. *Per Egiptum, & Ægyptos, & Lybias cum eis omnes scutati, & galeati, Gomer, & universa agmina ejus, Domus Thogorma latera aquilonis & totum robur ejus, populique multi tecum: Ubi audiuntur hic Hispani? Respondebis audiri initio capitis illius, ubi dicitur. Pone faciem tuam contra Gog terram Magog principem capitis Mosoc, & Tubal: Et idem legitur postea: At Hispani descendunt ex Thubale, ut constans est historia; Ergò: sed contra. Quod Gog futurus sit Princeps capitis, sive Regiæ*

Regiæ urbis Thubalis, non probat continuò Tubalæos, sive Hispanos militaturos in exercitu Gog. Turca enim est princeps capitæ, seu Metropolitanæ Ægypti, & Palestinæ, quin propterea in omni exercitu Turcæ sint Ægyptii, aut Palestini: Imperatores græci fuerunt aliquando Principes Romæ & tamen non semper in suis exercitibus habebant Romanos. Rex Hispaniæ est princeps capitæ Imperii Mexicani & Imperii Peruani; Ergone in omni exercitu Regis Hispaniæ sunt Mexicani, aut Peruani: Idem respectivè dico de aliis Monarchis. Ratio autem est. Thubal non solum fundavit Iberiam occidentalem, nempe Hispaniam, sed etiam Orientalem, quæ vicina est caspio & Euxinò: De hac loquitur Ezechiel; nam dicit. *Venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, & populi multi tecum.* Iberia illa, non vero Hispania, est in lateribus Aquilonis. Nequè urget, quod Joannes dicat de Diabolo. *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium:* Cum enim globus terraqueus sit sphericus, non est ratio, ut unus angulus ponatur in Hispania potius, quam alibi. Tum quia si hunc authorem movit autoritas Josephi (quem citat Hieronimus initio capitæ 38. Ezechielis: *Thubal, id est, Iberos, vel Hispanos;* addidisse poterat, quod addidit S. Doctor, *Hebrei italos suspicantur.* Tum quia mens utriusque Prophetæ satis rationabiliter videtur, esse futuros in exercitu Gog milites ex toto, aut ferè toto orbe, arte, & ope diabolica congregatos, ut postea dicam: Quippè numerosissimus ille exercitus, quem arena maris comparat Joannes, constabit plurimis, & heterogeneis gentibus. Hoc autem, quod fundamentum præbet ad dicendum semel, & iterum, & sanè tanquam rem exploratam, Hispanos potius, quam Italos, aut Gallos, aut Alemannos militaturos in exercitu Antichristi? Verum est, quod Thubal filius Japheti, & nepos Noë fundavit gentem Hispanam, ast non

R.P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

solum, sed magnam quoque partem Europæ occidentalis, quam illius nepotes incoluerunt. Ergò multi alii populi Europæ possunt intelligi sub nomine Thubalis. Demum ad ostendendum Pontificem Romanum non esse Antichristum, ut perdoctus hic Theologus ostendit tibi, non videtur conducere multum, quod Hispani militaturi sint necnè in exercitu Antichristi.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex sit visio Prophetica.

XIV. Solenne est Prophetis sanctis, docere res futuras, ut tunc præsentis, aut præteritas, hoc est per species, atque verba de præsentis, aut de præterito: Nempè, ut Decade 5. dixi, insinuandi ergo certitudinem, infallibilitatemque suarum prædictionum: Quemadmodum enim ad præteritum non datur potentia, posito, quod præteritum sit, necesse prorsus est, quod præteritum sit, & similiter de præsentis, posito quod præsens sit: Ita ad futurum non datur potentia impeditiva illius, posito quod futurum sit, quia etiam quodvis dum futurum est, necesse est, futurum esse. De qua re latius egi in prodromo Philosophico Disputatione de potentia, & actu: ubi diversitatem hac super re explicui inter potentiam ad præteritum, & potentiam ad futurum. Loquuntur itaque Prophetæ de futuris per verba de præterito sæpissimè ad significandum certitudinem illorum futurorum. Utuntur quoque sæpissimè verbo *vidi* (licet interdum etiam verbo *audivi*) quia ut acurè notavit Augustinus exponens illud *de concupiscentia oculorum*, horum privilegium est, quod sua propria operatione, id est visione, explicemus res ad alios sensus pertinentes. *Ultimur autem hoc verbo, nempè videre, etiam in cæteris sensibus cum eos ad cognoscendum intendimus:* Quo exemplis quotidianis explicato, concludit S. Doctor: *Ideo-*

T

que